Quare, & emphyteuſis a Prælato vltra legitimam metam cõceſſa non vitiabitur tota: ſed intra terminos cõſuetos, iureque permiſſos, conſiſtet.

28 Neque † aduerſatur huic ſententiæ Nouel.7.c.3.in fi.princ. ibi, neque quod fit, habere aliquod penitus robur finimus, &c. & c.7.vbi ſtatuitur, contra legis obſeruationem accipientem emphyteuſin, ſtatim cadere ab emphyteuſi adeòque etiam ab eo iure, quod licite ei concedi potuit. Reſpondetur enim: iſta d.c.3.verba non referri ad totam conceſſionem, ſed ſolummodo ad exceſſum inſolitum, ac prohibitum; vt eius hic ſit ſenſus: rem Eccleſiæ nõ poſſe dari in emphyteuſin, niſi vſque ad metam ibi taxatã, & ꝙ aliter fit, ideſt, vltra metam taxatam, id nihil penitus habere roboris: ſed propterea nõ tolli, quo minus id, quod intra metã licitam contractum eſt, vires habeat, cum illud non aliter ſit factũ. Eadẽ quoq; ratione verba in d. c.7. nõ eum recipiunt intellectũ, quem Didac. Couar.lib.2. var.reſol. c.16.nu.5.verſ. tandem vt libere, &c. contrariam Bart.opin. probãs, tradit Manifeſtũ namque eſt, in eo textu hoc dici, cõtrahentes cadere ab eo cõtractu, qui nullus ſit. Ait enim: Si vero, & perpetuã quiſpiã emphyteuſin accipere præſumpſerit, quod non licet: etiam ſic cadat ab emphyteuſi. An non ex his verbis clarè pateſcit, dictionẽ cadat etiam referri ad emphyteuſin planè illicitam? Et ideò corruere Didaci Couar. argumentationẽm nõ dubiũ eſt. Quin & hoc dici poterit: Imp. Iuſtinianum iſtis verbis (aut temporalem quidem, non tamen ſecundum huius noſtræ legis obſeruationem) loqui de obſeruatione formæ, quas diuiſionem nõ recipiat. Plura huic veriſſimæ deciſioni opponi ſolent: quæ ſufficienter confutauimus in d. §. adeò. 3 inſt.de locat.& conduct.n.205.207.& ſeq. Enim vero

3 f *Quæro, vſq; ad quã* [f] *generationẽ poſſint res Eccleſia in emphyteuſin concedi? Reſpon. text. in §. emphyteuſin, in authent. de nõ alien. videtur innuere, ꝙ non poſſint concedi, niſi in accipiẽtis perſona, & in duobus eiuſdem perſonæ hæredibus, & ſic niſi vſq; in tertiã generationẽ. Nihilominus tenenda eſt cõtraria opinio, ꝙ ſcilicet poſſint cõcedi vltra filios & nepotes; & videtur text. in §. licentiã. in Auth. de alie. & emphyt. & hanc opi. dicit eſſe cõem Alex. conſ. 110. nu.19. lib.3. & ꝙ poſſit concedi pro omnib. deſcendentib. vſq; in infinitum, dicit eſſe communem Ziliolus de Cauitellis inter conſilia Anch. conſ. n.8. Gozad. conſ.52. poſt nu.20. verſ. Ad decimum, & in hoc non eſt dubitandum.*

4 g *Sed nunquid poterunt etiã cõcedi in emphyteuſin pro* [g] *hæredibus extraneis? Reſpon. in hoc artic. Doct. varie loquũtur. Aliqui enim tenuerũt, ꝙ poſſit cõcedi ẽt pro hæredibus extraneis; & hãc opinionẽ dicit eſſe magis cõem maxime modernorũ, Soc. conſ.226. nu. 33. lib.2. Alij vero multi tenuerunt contrarium. ſ. ꝙ imò non poteſt ẽt expreſſe cõcedi, ita vt tranſeat ad extraneos hæredes; & hanc opi. dicit eſſe cõem, Imol. in l. ex fact. la grãde, nu. 14. in fi. ff. de hæred. inſtit. prout illũ refert Alex. in l. ẽt, poſt n.3. ff. ſol. matr. licet reuera Imola ibi loquatur ſolummodo, qñdo emphyteuſis eſt ſimpliciter conceſſa, vt retuli inf. q.28. verſ. Tertius eſt. Idẽ dicit Rub. in l. Gal. §. quidam recte, n. 197. & n.203. Sed aduerte, ne æquiuoces. aliud.n. eſt quærere an, res Eccleſiæ poſſit concedi in emphyteuſin, hoc expreſſe acto, quod trãſeat etiã ad extraneos hæredes, & non eſt iudicio meo dubitandum, quin poſſit; modo ſubſit legitima cauſa, & debitæ ſolemnitates interuenerint. Et ita hanc eſſe cõmunem opi. atteſtatur Gratus conſ.128. n. 6. lib.2. Si enim (vt ſuperius dixi) bis duobus concurrentibus poſſunt res Eccleſiæ alienari pleno iure: multo magis debent poſſe alienari ſolummodo reſpectu vtilis dominij. Et in iſtis terminis procedat conſilium Soc. ſuperius allegatũ. Aliud vero eſt quærere, an emphyteuſis Eccleſiaſtic. ſimpliciter conceſſa alicui pro ſe, & hæredibus, tranſeat etiam ad hæredes extraneos? & iſti ſũt alij termini, de quibus latius dictum eſt ſuo loco, infra q. 28. in d. verſ. Tertius eſt caſus, cum ſeq.*

29 † deciſio iſta limitatur, & reſtringitur, vt locum non habeat, ſi probabiliter appareat, conceſſionem aliter quam facta ſit, vnũ aut alterum contrahentium ſubſiſtere, ſiue valere voluiſſe: idque ex cauſis, quarum illi mentionem faciunt. Tunc etenim ſeparatio vtilis ab inutili fieri non poteſt: ſed perpetuo vtile per ſe ſtare contrahentes noluiſſe veriſimiliter conſtat l. Pedius, 7. in fine, ff. de receptis, qui arbitrium, &c. *Harprec.*

f *Vſque ad quam generationẽ poſſint res Eccleſiæ in emphy-* 30 *teuſin cõcedi.*] Quod† emphyteuſis Eccleſiaſtica in infinitum, & perpetuo concedi poſſit pro omnibus omnino deſcendentibus præter Clarum hic noſtrum, & ab eo citatos, concludit Alexander Trentacinq. var. reſol. lib.3. reſol.3. de iure emphyteut. num.3. *Harpr.*

g *Hæredibus extraneis*] Emphyteuſis Eccleſiæ de ſui natura ſolummodo tranſit ad filios, & deſcendentes, & non ad extraneos, vt atteſtatur Matth. de Afflict. dec. 100. nu.1. niſi expreſſe hoc dicatur. Sicut enim poteſt Eccleſia in caſu a iure permiſſo in totum alienare, & ſic, quod tranſeat ad extraneos hæredes; ita quoq; poteſt in emphyt. concedere, vt tranſeat ad extraneos hæredes, vt per Alex. conſ.9. vol.2. & conſ.189. eod. vol. Et hanc dicit cõmun. opin. Port. inſtit. de locat. §. adeò. *Gouean.*

g *Nunquid poterunt etiam concedi in emphyteuſin pro hæredibus extraneis.*] Quod

31 † emphyteuſis Eccleſiaſt. ſolemnitate iuſta adbibita, contrahi poſſit, vt ad extraneos ipſius emphyteutę tranſeat hæredes vera, & commu. opin. eſt, teſte hic Claro noſtro. Certi enim iuris eſt, res eccleſiæ, obſeruatis debitis ſolemnitatibus, omnimodo alienari poſſe, Clement. 1. & 2. de rebus eccleſ. nõ alienand. Quid ni igitur, & in emphyteuſin dari poterunt? argumento à maiori: cum rerũ proprietas penes Eccleſiam maneat. Huicque ſententiæ ſuffragatur non parum Noue.120.c.6.§.1. vbi Iuſtinian. in hæc verba ſcripſit licentiam igitur damus prædictis venerabilibus domibus, nõ ſolum ad tempus emphyteuſin facere immobilium rerum ſibi competentium, ſed & perpetuè hæc eis emphyteutico iure volentib. dari, &c. Cum ergo emphyteuſis rerum eccleſiaſticar. in perpetuũ alicui tribui poſſit: conſequens eſt, eã non tantum ad filios, nepoteſque, ſed & ad extraneos hæredes emphyteuticarij, per conuentionem extendi poſſe. Eidem aſſertioni robur addit text. in cap. ad aures, 7. de reb. eccle. alie. vel non vbi traditur. quod Eccleſia iure hæreditario fundos ſuos in emphyteuſin cõcedere alicui valeat. Dicuntur autem hæreditario iure concedi, quæ ad quoſcunque hæredes, ſicque etiam extraneos tranſmittuntur.

32 Nec infringit hanc concluſ. Nouell.7.c.3. in princ. vbi Iuſtinian. diſerte ſanciuit: emphyteuſin eccleſiaſt. in accipientis perſona, & in duobus eiuſdem perſonæ hæredib. deinceps, filijs tãtum ſolis maſculis, aut fęminis, aut nepotibus vtriuſque naturę permitti, adeòque ad extraneos hęredes non deferri. Nam aut id, quod in d. Nouel.7.c.3. dicitur, res Eccleſiarum in emphyt. datas, ad filios, & nepotes, non etiam ad vlteriores deſcendentes, vel extraneos tranſire debere, correctũ eſt per d. Nou.120. c.6.§.1. vbi res Eccleſiæ in perpetuum pari in emphyteuſin poſſunt: aut certè d. Nouell.7.c.3. eo de caſu eſt accipienda, quãdo res Eccleſiæ dantur in emphyteuſin, iuxta peculiarem conſuetudinem abſque canonica, & debita ſolemnitate: quo caſu non tranſit in hæredes extraneos, nec vltra tertiam generationem: quemadmodum ſentire videtur Couar. lib.2. var. reſol. c.17. nu. 5. allegans ad hoc gloſſam, Bartol. & Allexand. in l. etiam filios, 18. ff. ſoluto matrim. Anton. de Butrio. Imol. Panorm. Felinum, & Decium in cap. præſentia, 8. de probationib. & Ludouicum Gozadinum conſ.39. num.6. & 12. Eandem quæſtionem latiſſimè explicat Alexander Trentacinq. var. reſolut.3. de iur. emphyt. num.4. *Harpr.*

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

SVMMARIA.

Ex Claro.

1 *Ius emphyteuticum quanto tempore præſcribatur.*

Ex Additionibus.

1 *Præſcriptione an, & quatenus emphyteuſis acquiratur.*

2 *Vtrum emphyteuta, qui longiſſimo tempore penſionem non ſoluit nec à domino interpellatus fuit ad ſolueudum, liberationem à penſione ſoluenda omnimodo præſcripſiſſe cenſeatur.*

3 *In annuis præſcriptionibus tot ſunt præſcriptiones, quot anni.*

4 *Principali cauſa non ſubſiſtente, nec id quod inde ſequitur, loco habet.*

5 *Omnis actio 30. vel 40. annis tollitur.*

QVAEST. VII.

1 *Quæro, ex quanti temporis præſtatione preſcribatur* [a] *ius emphyteuticum? dixi infra libro 7. §. præſcriptio.*

ADDITIONES.

a *Præſcribatur.*] Dic, quod præſcribitur ſpatio 30. vel 40. annor. vt per Iaſ. in l.2.n. 56. Inſurgit hic dubitatio pulcherrima, an emphyteuta Eccleſiæ patiatur præſcriptionem, id eſt, an Eccleſia præſcribat, & vel alij præſcribant? Anch. conſ. vlt. col. fi. dicit, quod non, ſtante titulo, & poſſeſſione, quæ retinetur animo, late per Ruin. conſ.193.n.23. Quod præſcriptio habeat locum contra Eccleſiam, etiam quoad proprietatem, quãdo fuit interuerſa poſſeſſio, nec conſideratur, quod Eccleſia animo poſſeſſionem retineat: late tenet Ruin. in conſ.156. vol.2. Emphyteuſis præſcriptio an currat in præiudicium domini? Roma. conſ.166. & Corn. conſ.16. vol.2. Item præſcriptio emphyteutæ prodeſt domino; & illo deficiente eſt ad vtilitatem Eccleſiæ, & domini: ex quo dicitur, conſtare de dominio Eccleſiæ, vel priuati domini, Ruin. in conſ. 50. num. 19. Item an emphyteuta patiatur deſcriptionem in præiudicium Eccleſiæ? Soc. conſ.166. colum.14. vol.2. Et an hæres præſcribat cõtra Eccleſiam? Bal. conſ. 298. Hæc materia, an ſi quis recognouerit ab Eccleſia rem ſuam in emphyteuſim, & ſoluerit per annos 30. canonem, Eccleſia habeat titulũ, & dicatur preſcripſiſſe, quod non, ex quo titulus eſt nullus, vide per Ruin. conſ.155. & an tenens rem Eccleſiæ tanquam ſuam, & nõ ſoluens canonem per 30. annos præſcribat eam? Caſtr. conſ.214. uol.2. Et quod præſcribat tam pro præſcripto, quam pro futuro tempore, Ruin. d. conſ.155. Et ſic quantum ad utile dominium, uide per eundẽ conſ.167.n.23. ubi dicit dari reſtitutionẽ in integrum. Emphyteuta quando præſcribit, intelligitur etiam præſcripſiſſe, ut non poſſit expelli ob non ſolutionem canonis, Ruin. d. conſ. 155. Et præſcribit utile dominium, per ſolutionem 30. annorum, quod tamen limita, ut per eundem conſ.63. col. fin. *Giach.*

Ex quanti temporis præſtatione pærſcribatur in emphy- 1 *teuticum.*] Hic addendum: quod† emphyteuſis præſcriptione quaſi ex tacito domini, & poſſidentis conſenſu, acquiratur ſiue conſtituatur: puta, ſi quis fundum quendam à non domino in emphyteuſin acceperit: uel licet non acceperit, tamen illum ut emphyteuticum (præſtando nimirum quotannis ipſi domino fundi canonem) per triginta uel 40. annos poſſederit, arg. l.3.4. & 6. ubi Bart. C. de præſcript.30. uel 40. annor. & arg. tit.26.§. ſi quis per trigintam, lib.2. feud. ubi feudũ, cui emphyteuſis ſimilis eſt, triginta annis præſcribitur, & l. agricolarium, 18. C. de agric. & cenſit. ubi poſſeſſio longiſſimi tẽporis, triginta ſcilicet annorũ, facit adſcriptitiũ colonũ, cui emphyteuta aſſimlatur. Et ita Doctores communiter tradunt, Ang. in l. pretor.4.§.1. ff. de edend. Iaſ. in l.2.n.155. C. de iur. emphyteu. Ioan. Franc. Balb. in tract. de præſcript. par.2. partis tertiæ principal. q.10.n. 36. & par.4. quartæ principalis, q.10. Paul. Pico à Monte Pico, ad tit. ult. n.1. li.1. feudor. Chaſtenæus conſ.18. col.1. Ruin. cõſ. 151.n.5. li.4. Pariſ. conſ.23.n.5. li.4. Menoch. de præſũptionib. lib.3. preſumpt.108.n.4. Ferrar. in rubr. C. de iure emphyteut. Vvegner. diſp.12. ad Inſt. th.5. ſub. lit. G. Borcholt. in tract. de feud cap.7. num.4. & ſeqq. pag. mihi 172. Treutler. diſp. 29. th. 11. littera B. vol.1. & ceteri, quos illi citant. Quamuis alij ad hanc præſcriptionem tempus longum ſufficere contendant. Bald. in l.1. nu.15. C. de fideicommiſſ. D. Collega Bocer. claſſ. 2. diſp.14. th.43. littera B. ed. 2. Maſcard. in tractat. de probation. vol. 1. concluſ.337. nu.2. vbi plures enumerat.

2 Quæri hoc loco poterit: an† emphyteuta, qui longiſſimo tẽpore, puta 30. vel 40. annis canonẽ, ſiue penſionem non ſoluit, nec à domino interpellatus ad ſoluendum fuit, liberationem à penſione ſoluenda, non ſolum pro tempore præterito, ſed etiã futuro, preſcripſiſſe credatur? Et aientem quidem ſententiam amplexi ſunt Bart in l. comperit. 6. C. de præſcript. 30. vel 40. annor. Corneus conſ.142. nu. 11. verſ. accedat, vol.3 & alij, quos citat Corbulus in tract. de iur. emphyteu. c.15. limit.31. n. 1. verum contraria opinio firmiori monita eſt fundamento. Eã enim valde corroborat, l. cum notiſſimi, 7.§. fi. C. de proſcript.

3 30. vel 40. annorum. vbi Iuſtinianus Imp. dilucide oſtendit, in† annuis præſtationibus tot eſſe præſcriptiones, quot anni ſunt. Proinde ſi emphyteuta ſpacio annorum 30. vel 40. penſiones non ſoluit, præſcripſiſſe videtur præteritas penſiones, non autẽ futuras; quia noua præſcriptio eſt neceſſaria futurorum annorum, & quidem in ſingulos annos. Id quod aperte iam conſtat ex l. eos, qui 26. in princ. C. de vſur. vbi licet conſtitutũ ſit, princi-

4 pali actione ſublata præſcriptione 30. annorum, nullam† ſuper vſuris quæſtionem moueri poſſe: cum, principali cauſa non ſubſiſtente, nec ea, quæ inde ſequuntur, locum habeant l. cum, principalis 178. ff. de reg. iur. tamen illa lex ſatis arguit, in annuis preſtationibus ſingulorum annorum præſcriptionem requiri, in illis verbis: Iubemus, non poſſe ſuper vſuris, vel fructibus præteriti temporis aliquam mouere quæſtionem, dicendo ex ijſdem temporibus eas velle ſibi perſolui, quæ nõ ad 30. vel 40. præteritos annos referuntur, aſſerendo ſingulis annis earum actiones naſci, &c. Huiuſque ſententiæ auctores ſunt. Accurſius in d. l. comperit, 6. C. de præſcript.30. vel 40. annor. Iaſon in l. 2. nu. 72. C. de iure emphyteu. Guido Papæ deciſ. 406. Gail. 2. obſeru.73. nu.1. Fachineus lib. 8. controuerſ. cap. 99. Mynſinger. cent.3. obſeru.13. Vvrmbſer. pract. obſeru. tit. de præſcript. cap.5. Thoming. deciſ.17. numer.26. Borcholt. in tract. de uſur. capit.4. num.38. cum ſeqq. & in tractat. de. pacto cap.2. num.23.

5 Huic deciſioni† non obſtat l. ſicut 3. omnes 4. C. de præſcrip. 30. uel 40. annor. ubi omnis actio trigtnta uel 40. annorũ ſpaſio tollitur. Quia non negamus, annuas preſtationes præſcriptione 30. uel 40. annorum extingui: ſed ſingulorum annorũ, quibus actio naſcitur, præſcriptionem contemplamur & tequirimus, ex prçſcripto dicte l. cum notiſſimi, 7.§. ult. C. d. tit. nõ autem totius tẽporis futuri, ex unius anni, nel alterius penſionis prçſcriptione, ius metitmur. Reliqua, quę in cõtrariũ moueri ſolent, refellit Fachineus loco ante deſignato.

QVAE-